

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Universitatis Lipsiensis Ad Festum Nativitatis Christi, In Templo Academico, Cras Hora XII. An. Chr. MDCCXVI. Debita Devotione Concelebrandum ...

Zschau, Johann Andreas

Lipsiæ, [1716?]

VD18 90816676

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:33-1-200456



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lips. pasch. it. Jen. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthiana Helmst.
5. Hebraec. de aera nativ. Christi
6. Bel Hist. Lingua Ungar.
7. Reformatix Postscriptum



61. C. 2

61 C 2

19
7. 8

RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
AD
FESTUM
NATIVITATIS
CHRISTI,
IN TEMPLO ACADEMICO,
CRAS HORA XII. AN. CHR. c^o l^occc xvi.
DEBITA DEVOTIONE
CONCELEBRANDUM
INVITAT.

M 34
M 33



Dezana D. Cyprian



Tempus Adventus Messiae, post plura secula futurum, Spiritu Prophetico impulsus Jacob annosus senex praedixit Genes. cap. XLIX, 10. Non deficiet sceptrum (vel Rex) a tribu Judae, aut Dux a pedibus ejus, (a seris posteris) usque dum venerit Schilo, (desideratus, i. e. Messias.) Propius Tempus, adventus anxie expectati Messiae, vaticinium Angelicum designavit Dan. IX. v. 24-27. quod nostrae meditationis sacrae argumentum in praesenti esto. Primo Praeco coelestis erat Angelus Gabriel, qui idem a DEO ablegatus supra Cap. IIX, 6. idem ad Zachariam Luc. I, 19. & ad S. Virginem v. 26. Dorscheus in *Dissertatione Theologica de Septuaginta Hebdomadibus Danielis ad Cap. IX. v. 24.* Angelum increatum, Filium DEI mavult intelligere, ex rationibus consideratione dignis. Secundo Oraculum illustres eventus praenunciat diversis temporibus futuros. Priores spatio LXX hebdomadam includuntur, posteriores id consequuntur. Qui spatio LXX hebdomadam includuntur, rursus vel generatim ad totum intervallum referuntur, vel speciatim definitis annis adstringuntur. Illi continentur v. 24. in quo (1) temporis species: (2) determinatio divina. (3) subjectum. (4) eventura. Species temporis sunt hebdomades annorum Solarium completorum: non hebdomades dierum, ex quibus septem conficitur hebdomadas, non hebdomades annorum septies numeratorum, post quos celebrandum erat Jubilaeum, nempe annus quinquagesimus: prius enim tempus, hebdomades septuaginta dierum, sive annus nondum cum dimidio, nimis angustum, posterius conficiens annos 3430 ad completionem vaticinii nimis amplum est. Numerus LXX. Septimanarum, quibus populus sua recuperata libertate aliquo modo frui debebat, tacite opponitur LXX Captivitatis Annis, ad indicandum Captivitatis calamitatem, per annorum libertatis septuplicatam periodum, sive per 490 annos compensatum iri. Consentientes in isto numero Rabbinos nominavit D. Geierus in Commentario. Ast Alexander Softmannus in erudito *Commentario ad Oraculum Danielis de LXX Hebdomadibus*, numerum nova ratione eruit, *Cap. II. Sect. II. Habemus, scribit, periodum Hebdomadum LXX: si numerum 7 hebdomadam per*

per totam periodum deducas; invenies hunc numerum in ea decies reperiri,
 i. e. integrum hoc intervallum X absolvi Iubilæis. Cum autem septem heb-
 domades, annos conficiant 49: his adde annum quinquagesimum seu Jubi-
 leum, & habebis annos 50. qui decies repetiti facient numerum 500 Anno-
 rum: atque hic est numerus, quo LXX hebdomadam curriculum absolui
 contendit Auctor. Quam rationem computandi discipuli sui, in Epistola
 Commentationi huic præfixa Campegius Vitringa Doctor omnino appro-
 bant. In vulgari Computo unam septimanam deficere observavit D. Geie-
 rus ad v. XXV. Tempus id LXX hebdomadam annalium divinitus deter-
 minatum dicitur: *hebdomades decisa est*: enallage emphatica, significans
 unamquamque septimanam peculiari DEI consilio non vage, sed arctissime
 definitam esse, cui nihil licet addere, nihil demere. Subjectum super quo,
 & in quo, septimanæ, & res in iis futuræ implendæ sunt partim *populus Ju-
 daicus*, partim *civitas sancta*. Daniel dixerat v. 15. 16. 19. *eduxisti populum
 tuum*. Angelus verbis immutatis appellat populum Danielis, ex quo na-
 tus erat, & cuius restitutionem a DEO orabat. Daniel precabatur v. 16.
*discedat ira tua a civitate tua Jerusalem, & a monte sanctitatis tue, a monte
 sancto tuo*: nunc Angelus eundem loquendi modum retinens ait: *super
 urbem sanctitatis tuam*: vel *super urbem Sanctam tuam*: in qua natus es,
 aut quæ patriæ tuæ præcipua, & pro qua intercedis. Idiotismus est, cum
 loco prædicatorum concretorum nomina abstracta adhibentur, iisque
 pronomen possessivum annectitur, quod ad subjectum perinet. Vide
 Glassium *Philolog. S. lib. III. Tract. II. can. VIII*. Generalem hanc tem-
 poris designationem excipit recensio sex Beneficiorum amplissimorum, Ju-
 daico populo a Messia conferendorum, in intervallo generatim determinato,
 quorum vero præcipua finem ejus attingunt. Istorum beneficiorum tria
 priora impedimenta salutis remouent, *Rebellionem, Peccatum & Iniquita-
 tem*, posteriora tria bona contraria afferunt, *Justitiæ additionem, vaticini-
 orum obsignationem, & Sancti Sanctorum Uctionem*. Mala auferenda tri-
 bus nominibus exprimuntur *וַיְהִי כִּשְׁמֹנֶת עָשָׂר* accumulatis, ut tota pecca-
 torum humani generis colluvies comprehendi intelligatur: quorum signifi-
 cationem emphaticam declararunt Geierus hic & Frischmuthus *Disp. I. de
 Hirco emissario cap. I. §. II*. Cocejus existimat tres peccatorum gradus in-
 dicari, quorum unus alterius effectus est, & ab altero tanquam a causa de-
 pendet. Primum malum remouendum est *עָשָׂר rebellio*, quam confessus
 erat Daniel v. 9. 10. 11. comprehenditque tum actum, tum tristem ejus effe-
 ctum, reatum in rebellibus. Hoc crimen læsæ Majestatis divinæ *coercebitur*.
 Nam *וַיִּסְתֵּר* occludere, cohibere, ecereere significat Eccles. VIII, 8. Lu-
 therus der Sünde wird gewehret werden. D. Geierus secutus R. Salomo-
 nem

253

nem Ben Melech Radicem כרלל consumsit, finivit respiciens, finem acci-
 pere vel finire, ein Ende nehmen, aufhören vertit. Utramvis accipias ex-
 plicationem, Christus rebellionis progressum cohibuit & finivit, reatum in se
 suscipiendo *Eesai* LIII, 5. & 12. *Rom.* IV, 25. DEUM hominibus reconcili-
 ando *Coloss.* I, 20. 21. *Eph.* II, 16. Alterum malum auferendum sunt *Peccata*
 פחטא: qua voce in sacris plerumque Actualia veniunt, h. e. omnis
 generis aberrationes a norma Legis, ex quibus dissidia inter DEUM Regem
 & Dominum, hominesque subditos oriuntur, quibusque homines a DEO
 separantur *Eesai* LIX, 2. Amotio huius mali exprimitur verbo variantis le-
 ctionis: Kethibh exhibet vocem כחלל ad obsignandum a כחלל ob-
 signavit: Keri כחלל ad absolvendum, ad finiendum, a כחלל absolvit, finivit.
 Prior locutio petita est a rebus, quæ in nullius conspectum venire debent,
 ideoque occluduntur & obsignantur, ut spelunca Leonum *Dan.* VII, 17.
 sepulchrum Salvatoris *Matth.* XXVII. 66. & sic obsignatio peccatorum signi-
 ficat eorundem absconsonem, & occultationem Christi merito factam, ne
 imputentur. Paulus vocat deletionem Chirographi *Coloss.* II, 13. 14.
 Posterior significatio consummandi, finiendi cum priore, quoad rem con-
 venit. Peccata dum obsignantur, finita vel ad finem perducta sunt: quan-
 quam prior phrasis contrario sensu occurrat *Job.* XIV, 17. Christus autem
 peccata obsignavit, aut finivit, rebellibus annumeratus *Eesai.* LIII, 4. 5. non
 tantum ferendo, sed & auferendo & abolendo. Confer 1. *Job.* III, 8. 9. Ter-
 tium salutis impedimentum, de quo *Daniel* v. 15. 16. querebatur, cuius rem-
 issionem orabat, & Angelus meminit est פחטא iniquitas, perversitas, corru-
 ptio, quod nomen quidem, præsertim in plurali Actualia iniquitates denotat,
 hoc tamen loco pro earum fonte & causa, corruptione originali, in quam
 omnes posteri Adami ob primævæ rebellionis imputationem inciderunt,
 atque inde carentes imagine DEI à conceptione in utero & nativitate, pro-
 clives ad mala existunt, non incommode accipietur. Nam פחטא præterquam
 quod actualibus peccatis opponitur *Levit.* XVI, 21. *Pf.* XXXVIII, 19. con-
 natam labem clare significat *Pf.* LI, 7. Malum hoc tollendum erat *Expiando.*
 פחטא in Pihel offensarum remotionem indicat, quocumque modo fiat: usur-
 paturque de persona offendente *Deut.* XX, 8. & de persona offensa *Genes.*
 XXXII, 21. & sic placare est memoriam seu offensam, e mente personæ laxare,
 remove. Specialius denotat compensare; secundum jus & æquum satis-
 facere 2. *Sam.* XXI, 3. Adeoque expiatio est, qua quid datur pro altero, ut is
 noxæ eximatur, quo deponso, secundum æstimationem ejus, cuius interest,
 liber sit is, qui antea obnoxius erat. Quomodo Expiatio iniquitatum fa-
 cta est per mortem Messie *Eesai.* LIII, 10. *Rom.* VIII, 3. Vide Dorscheum
 contra Socinianos disputantem §. LII, ff. p. 40 & Geierum in h. l. Histribus
 impe-

impedimentis salutis remotis succedent tot beneficia, quibus contraria bona afferentur. Priora duo sunt effectus tertii, ut causæ & fundamenti. Primum est, *Justitiæ æternæ adductio vel restitutio*. צדק עולמי *justitia seculorum* (primorum vel antiquissima ac primæva, quæ per singula mundi secula opus fuit salvandis, immo in omnem æternitatem) *reducenda*. Estque hæc Justitia Messie in perfectissima ejus obedientia consistens, quæ fide apprehensa nobis imputatur. Alterum beneficium spectat vaticiniorum impletionem: ויחזו *visio*, h. e. modus Revelationis Divinæ per repræsentationem specierum, quæ tanquam symbola, modo ἔσωθεν modo ἐξωθεν, vel vigilantibus, vel dormientibus, arcano modo, res futuras exhibent, vel citra ἐκστασι, vel in ἐκστασει raptu; Geierus in *Cap. I. Dan. v. 17.* נביא *Propheta*, qui futura prænunciar absque ejusmodi visione. Qui metonymice exponunt *Prophetam*, conveniunt cum modo loquendi sacro, quo, qui vaticinia a Prophetis scripta legunt, Prophetas legere dicuntur *Aelior. VIII. cap. 30.* In utraque voce *Visio & Propheta* est enallage numeri, omnia vaticinia de Messia continens. Hæc *obsignabuntur*, i. e. ultimum complementum & finem habebunt. Nam uti diplomata Regia sigillo apposito finiuntur & confirmantur, ita ipsa rerum promissarum præstatione reali confirmanda dicitur veritas prædictionum, & simul finis futurus. Quæ in Salvatore Christo invenimus *Matth. XI, 13. Rom. X, 4.* Fatentur Judæi Prophetas sub Templo secundo cessasse. Beneficium Tertium causâ præcedentium appellatur *Unctio Sancti Sanctorum*. Subjectum Enunciationis est Sanctitas Sanctitatum, phrasi Hebræa, Sanctissimus, qui nullus alius esse hic potest, quam Messias, Christus JESUS, ratione tum Divinæ Naturæ essentialiter, tum humanæ naturæ τῷ λόγῳ personaliter unitæ. Quia vero Angelus Unctionem intra LXX hebdomades futuram prænunciat, accipienda ea est, de exuperantissima Spiritus S. omniumque ejus donorum collatione præter mensuram, seu vera & reali communicatione Majestatis Divinæ τῷ λόγῳ, in ipsissimo unionis articulo; per quam instructus & inauguratus est ad Officium triplex, Propheticum *Esai. LXI.* Sacerdotale *Pf. CX.* & Regium *Pf. II, 6. XLV, 8. 12.* Hinc appellatus passim *Χριστός* Unctus Domini, Unctus DEI, Unctus DEI Filius. Dum vero Angelus eundem illum Dominum designat, propter quem Daniel preces suas exaudiri v. 7. oraverat, certiore ipsum reddit, hunc משיח Dominum Messiam intra LXX hebdomadas missum iri ab אלהים DEO Patre, & eundem esse אלהים Deum, qui *Pf. XLV, 8.* unctus fuit ab אלהים DEO Patre. Prædictis eventibus in genere in intervallo LXX hebdomadum pergit Angelus, præmissâ iterum excitatione Danielis ad attentionem, speciales eventus certis articulis temporis, atque terminis eorum alligare. Primo partem intervalli primam suis terminis definit, ac deinde res monstrat in ea eventuras. Ter-

25 M
24 33

minus a quo prioris intervalli ponitur edictum Artaxerxis Longimani, anno imperii septimo editum, concedens reedificationem aut restaurationem urbis. Terminus ad quem est Messias משיח Dux, Unctus Dux, Antistes, Antecessor, Propheta. Quod si hoc & proxime sequente tempore inquiramus aliquem Unctum Ducem, non alium inveniemus, quam Jesum Messiam; cum etiam Judæi nomine Uncti suum Messiam intelligant. Incepit autem Christus Dux esse, postquam a Johanne baptizatus, superato tentamine, Mediatorium munus obire, discipulos colligere, populum docere, miracula patrare, atque ita omnium oculos in se, tanquam Ducem & Doctorem Israëlitis convertere cœpit. Eventus hoc priore intervallo comprehensus est *reedificatio seu restauratio urbis*. Cum enim Templi instauratio sub Cyro incepta, sub Dario Hystaspide ad finem perducta fuerit, restabat instauratio ædium & munimentorum, *חרוב platea*, per enallagen numeri *platea*, per metonymiam continentis pro contento *edificia* juxta plateas constructa: *צרת fossa*, synecdochice mœnia, portæ, turres, omniaque urbis munimenta, quorum fossa extremum fuit, *& quidem id fiet in angustia temporum*, vel temporibus afflictis, de quibus Nehemias cap. IV. Altera Pars ex divisione LXX Hebdomadum continet unam hebdomadam, seu septem annos, qui sub finem præcedentium 69 hebdomadum initium capiunt. In illa eventura dicuntur v. 26. 27. (1) *Messia excidium*. *Excidetur Messias* JESUS morte violenta è terra viventium, & non amplius erit inter mortales visibiliter præsens. (2) *Fœderis Evangelici confirmatio*: quod JESUS confirmavit multis, qui malitiose non resistebant, tum doctrina, tum miraculis; (3) *abrogatio cultus Levitici*: *& in medio septimanae*, ferme tribus annis cum dimidio, post mortem suam, per quam usum & valorem sacrificiorum terminavit Hebr. X, 9. Concionibus Apostolicis per triennium & ultra, universum cultum Leviticum prorsus a se abrogatum indicabit. Reliqua in textu enarrant post LXX hebdomades instans, excidio Messia merita poenæ, Excidium Reipubl. Judaicæ. *Et Civitatem Hierosolymam & Templum*, h. e. universam Reipubl. cujus præcipua pars erat Hierosolyma, & in ea Templum, *prorsus destruet populus Ducis venturus* h. e. Romanus, Ducis Messia, (cujus mentio proxime præcesserat v. 25.) jussu ac imperio executurus supremum hoc supplicium. Geierus. Alii: populus vel exercitus Ducis (oppositus Duci Messia) Imperator Romanus venturus. Modum ac Gradum indicant sequentia: *& finis ejus (Templi & Urbis) cum inundatione*. Sicut agri, horti, vineæ, pagi, urbes per aquas subito auctas ac impetuosè ruentes, obruantur ac corrumpuntur, adeo ut omnia evertantur, abripiantur, limo aut arena oppleantur: ita urbs & templum, immo tota regio Judæorum militaribus turbis opplebitur ac evertetur. Confer Esai.

Esai.

Esai. IIX, 7. 8. Terminus excidii figitur, & usque ad finem belli (illius, quod ab exercitu Ducis venturi Judæis illatum est,) *Urbs destinata est* (a DEO) *desolationibus*. Post hæc Angelus v. 27. addit, quæ respiciunt verba v. 26. partim priora, de exercitu Ducis venturi, partim posteriora, de diluvio bellico & inundationibus decretis. Priora his verbis continentur: & sub alite abominationum, seu sub signis & vexillis Aquilarum, *adventurus est vastator*, exercitus Romanus. Posteriora hæc sunt, quæ oraculum claudunt: & usque ad consummationem & decisionem (h. e. consummationem decisam, firmiter decretam, inevitabilem & irreparabilem, donec terra erit) indignatio divina effundetur super devastationem (urbem sanctuariumque devastatum) Ita D. Geierus. Hæc brevis est Exegesis vaticinii ab Angelo Danieli Prophetæ dicti. Prolixior peti potest, una cum vindictis adversus Judæos, ex sæpius laudato D. Geiero, & aliis Viris, ab eodem nominatis: quibus addantur Dissertationes Johannis Frischmuthi una ad Daniel. IX, 24 Jene 1670. altera ad v. 26. & 27. an. 1672. Ægidius Strauchius in Dissertatione Historico Theologica, de Computo Sacro LXX Hebdomadum Danielis, Wittebergæ an. 1660. Anton Hulsius in Nucleo Prophetie p. 801. Pfeifferus in Dubiis vexatis: Wasmuth Hebraismi Restituti parte II. p. 241. Wagenfeil in Carminis Lipmanniani Confutatione, in Telis Igneis pag. 608. Gürtlerus System. Theolog. Prophet. Cap. XXII. Art. XXX. pag. 410. Bartolocius Bibliothecæ Rabbiniæ Parte II. in Dissertatione proluxa a fol. 306. ad 383. Imbonatus in Bibliothecæ Latino-Hebraicæ Coronide, de Adventu Messie fol. 80. Petrus Allix de Messia duplici Adventu pag. 41. Petrididier Dissertationum in S. Scripturam V. T. XVIII. Sect. II. p. 159. Bernardus Lamy, Oratorii D. J. Presbyter in Apparatu Chronologico ad Commentarium in Harmoniam Evangelist. Parte II. Cap. IV. p. 147. Alexander Softmann non procul ab initio a nobis commendatus. Hi, quomodocunque inflituunt calculum, consentiunt omnes, de Messia in sensu literali vaticinatum Prophetam, venturumque illum, Templo adhuc existente secundo adfuisse. Ast Johann Marsham, Eques Anglus, in Canone Chronico Seculo XVIII. fingit finem LXX Hebdomadum proprie non ad Christum, sed ad Antiochum Epiphanem pertinere, huncque vere significare omne illud vaticinium. Quod probrosum universis Christianis commentum accurate dispulerunt Wagenfeil in Mantissa de LXX Hebdomadibus Danielis, Telis Igneis Satanae addita: Joh. Marckius in Analyfi Exegetica Capituli LIII. Jesaiæ §. LXXVII. Samuel Basnagius Dissertatione VIII. in Annalium Politico-Ecclesiasticorum Tomo II. fol. 531. Vitringa Observationum Sacrarum lib. VI. capitibus V. primis. Gravissime etiam arguitur a Bernardo Lamy l. c. §. X. p. 181. Joan Harduinus, Societatis Jesu Presbyter, quod in Chronologia

25
35

nologia Vet. Testam. p. 186. seqq. ex futilibus conjecturis conatus sit persuadere, hunc Christum, qui post hebdomadas Danielis occidendus erat, fuisse Oniam Pontificem, ab Andronico interfectum in templo Apollinis juxta Antiochiam, cujus in asylum se receperat, & latitabat metu mortis: huncque Oniam fuisse typum Christi: quem in hocce typo Daniel sit intuitus. Harduinus nihilominus, sub nomine Eusebii Franco-Romani se defendere ausus est in *Dissertatione Chronologica de Hebdomad. Danielis*, quæ præfixa est Dionysii Petavii Operi de Doctrina Temporum, recuso Antuerpiæ An. 1703. Utrumque vero & Marshamum & Harduinum rejecit Jacob Basnagius in *Historia & Religione Judæorum Tomo III. lib. IV. cap. XXII.* Cum igitur fide certa teneamus Christum venisse dudum, peccata omnia nostra passione & morte sua expiasse & abolevisse, justitiam æternam adduxisse, factumque nobis a DEO sapientiam, & sanctificationem & redemptionem I. Cor. I, 30. credamus in Jesum Christum, ut justificemur ex fide ejus, & simul ambulemus digne DEO, qui vocavit nos in suum regnum & gloriam I. Thess. II, 12. Quæ beneficia, ex Adventu Filii DEI in carnem, ad homines redundantia, oratione solenni, in Templo Paulino, Die anniversario crastino, benevolente DEO, post heram XII. celebrabit Pereximius DN. M. JOHANNES CHRISTIANVS SCHARFINS, Grimma Misnicus, SS. Theologiæ Studiosus, Alumnus Regius & Electoralis. Ad quam audiendam Proceres Academiæ & Urbis, atque florentissimos Studiosos Juvenes, Officia ac amorem vicissim polliciti, invitamus. Meditationes piæ, quarum gratia convenimus, pars erit cultus, quem Salvatori nostro meritisimo omnes, hoc maxime tempore, debemus. P. P. pridie Festivit. Natalitior. Salvatoris Anno Christiano 1700 1000 XVI.

LIPSIÆ,
Litteris JOH. ANDR. ZSCHAU.



61 C 2

10-18

